



ATHANASII KIRCHERI.

Fuldensis Buchonii, E SOC. JESU, MATHEMA-

TUM in Collegio Romano, ejusdem Societatis Pro-

fessoris Ordinarii

SENTENTIA,

De

UNGUENTO ARMARIO:

ex libro III. ejusdem de ARTE MAGNETICA,
desumpta.



Rodiit non ita pridem, è stygia, ut equidem reor,
officina, unguentum quoddam, quod ab actione, quâ
in distans vulneratos sanare creditur, Magneticum dici-
citur; Armarium verò, quod armis inungi soleat.

Conficitur ex variis speciebus, quas consultò subrice- *Confectio*
re visum est, cum mumia sive parte hominis strangulati, *Unguenti*
aut alio violentæ mortis genere peremti: Lunâ crescente & in bona domo, *Magnetici.*
& in signo, ne quid superstitionis desit, humanæ figuræ existente.

Hoc unguento sic rite præparato, gladium, pugionem, clavum, vel
quodcunque alterum telum, quo vulnus inflictum fuit, inungunt, telum-
que illud, fasciis circumligatum, diligentiam magnâ, non secus, ac si cor-
poris vulnerati membrum foret, fovent. Quo pacto vulnus confestim
ad quantamlibet distantiam, spatiumque indeterminatum, se sanare pos-
se jactitant, virtute quadam, aut efficientiâ Magneticâ, attractione & di-
ductione, vectore spiritu, qui, tanquam medium vinculum, primò ex de-
finitis & propriis constellationibus, sympathiam & copulam, seu conve-
nientiam inducit, ex qua deinceps vis sanativa in telum medicatum deri-
vatur: ex hoc enim postea egreditur, ac ad partem usque vulneratam con-
tinuatur, traducitur, ac tandem actionem istius virtutis sequitur effectus.

Præter alios verò hujus Telungii sive hoplochrismatis patrocinium
inseipit autor Philosophiæ Mosaicæ, quod volumen quidem totum, in or-
dine ad hunc effectum unguenti Magnetici demonstrandum, composuisse
videretur. Verum è fundamentis, è quibus hujus unguenti veritatem astrue-
re nititur, facile quid de eo sentiendum sit, colligi poterit.

Primò